DIE III. JUNII.

IN FESTO B. ANDREÆ DE HYSPELLO, CONFESSORIS.

DUPLEX MINUS.

ORATIO.

Clementissime Deus, qui Beati Andreæ Confessoris tui meritis, & intercessione aeris serenitatem, & pluviam poscentibus tribuisti congruentem; mentes nostras imbre tuæ gratiæ perfunde, ut sordibus peccatorum abstersis, perpetuâ vultus tui hilaritate perfrui mereamur. Per Dominum, &c.

Lect. I. Noct. de Scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Andreas, Hyspelli in Umbria illustri loco natus, pueritiam, & adolescentiam summâ innocentiâ morum, ac virtutis laude traduxit. Sacerdotio deinde initiatus, & Parochi munus à Nicolao Episcopo Spoletano, postulantibus Civibus, suscipere jussus, egregii Pastoris partes pluribus annis implevit. Sed Matre, ac Sorore defunctis, ut meliora charismata æmularetur, post divenditum patrimonium, ejusque pretium in pauperes erogatum, liber, expeditusque nascentis Minoritici Ordinis habitum, ipsius Sancti Francisci manibus, indutus est. Inter septuaginta duos Discipulos, quos Beatissimus Patriarcha, ultra duodecim Socios, ad Chri-

Christi Domini exemplum, elegit, annumeratus est; quorum etiam primus extitit Sacerdos; itaque & ipse post biennium, morienti Seraphico Patre, adstitit omnibus pietatis officiis, & ab eo vicissim eximius Divini verbi præco est prænuntiatus, ut mox probavit eventus.

Tu autem.

Lectio v.

AD generalia siquidèm Ordinis comitia, Soriæ in Hispaniis habita, accersitus, eo fervore Populum in maxima siccitate laborantem ad pœnitentiam excitasse fertur, ut in lachrymas prorumperint universi; ipsoque orante, tam grandis pluvia deciderit, ut exinde Andreas ab Aqua, veluti cognomento, appellari cœperit. Hinc ad Verbi Dei prædicationem, communi suffragio, destinatus est: quo in munere obeundo, & virtute sermonis, & miraculorum magnificentia, in quibus, & mortuos suscitasse perhibent, innumeras propemodùm peccatorum Animas in viam salutis reduxit, dictus proterea, Prædicator maximus. Contemplationi subinde in Conventu, Carcerum nuncupato, prope Assisinum, se totum addixit, ubi Christum Jesum, sub Infantis specie, videre meruisse, memoriæ proditum est: à cujus dulcissimo aspectu cùm semel, audito Vesperarum signo, se illicò proripuisset, ut divinis laudibus interesset, mox à Choro in cellam reversus, expectantem invenerit Divinum Parvulum, ac dicentem: Benè fecisti obediendo; Ego tibi propitius ero. Tu autem.

Lectio vi.

PRofessam paupertatem, ac puritatem, patientiam, cæterasque virtutes illibare custodivit. Sacras Vallis gloriæ Virgines Hyspelli, à Sancta Clara sibi plurimum commendatas,

mendatas, indefessâ charitate prosecutus est; eisque indigentibus perennem aquæ fontem, suis precibus, impetravit. Denique, laboribus attritus, ac meritis plenus, tertio nonas Junii, sexagenarius, obdormivit in Domino, anno salutis millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto. Corpus, clarum miraculis, honorificè conditum est in patrio Templo Sancti Andreæ Apostoli, quod cum adnexis Ædificiis à Bartholomæo Spoletano Episcopo, & Canonicis oblatum, jam pridem acceperat pro sui Ordinis Fratribus; quorum opera, constructis sub Urbano Octavo Processibus, ac immemorabili ejus cultu, sub Clemente Duodecimo ritè probato, annuente postmodùm Benedicto Quartodecimo, solemni supplicatione translatum, summâ ibidem religione colitur. Tu autem. *Lect. 3. n. de 1. cõi. M.* Os just.

SPOLETANA.

A*D humillimas preces P. M. Fr. Felicis Angeli Sidori Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Ex-Vicarii Generalis Apostolici, ac Postulatoris Causæ Canonizationis B. Andreæ Cacciolæ ejusdem Ordinis Sac. Rit. Congr. porrectas, in eaque per Emum. & Rmum. D. Card. de Gentilibus relatas, Sacræ ead. Congr. audito prius R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, suprascriptas Lect. II. Noct. prop. accuratè revisas, correctas, atque examinatas, benignè approbavit, & cum inserta Orat. à SS. Dño. N. Benedicto XIV. sub die* 23. *Maii* 1741. *approbata, tam in Offic. diei festi ipsius Beati, quàm in Missa, in Civitate, ac Diœcesi Spoletana, necnon in tota Religione Seraphica, in posterum recitari, ac imprimi posse indulsit, atque concessit. Hac die* 7. *Maii* 1746.

C. Card. de Marinis Præf.

Loco ✠ sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymit. Secret.